

# FELICITAS IMPERATORIA

scripsit

H. WAGENVOORT

Harry Erkell, *Augustus, Felicitas, Fortuna*. Lateinische Wortstudien. Göteborg, Elanders Boktryckeri Aktiebolag, 1952.

Nuper in actis q.i. Museum iudicium meum de libro, cuius titulum supra exscriptum invenias, publici feci iuris. Liber est utilis plenusque doctrinae ex plurimis iisque diversissimis fontibus congestae. Nihilo minus breviter iam tum indicavi mea quidem sententia hic illic auctorem errasse, idque imprimis ubi de felicitatis notione esset sermo. Cumque non esset illius loci copiosius hanc rem tractare, satius visum est ad vulgandam eam expositionem horum actorum uti hospitalitate benigne mihi oblata.

Quaestio, de qua agitur, haec est. Nemo ignorat in litteris tam liberae rei publicae quam aetatis imperatoriae creberrime fieri sermonem de imperatorum Romanorum felicitate. Quidnam eo vocabulo significatur? Vel potius — vix enim quisquam infitietur varias eius deprehendi significationes — potestne fieri ut eam persequamur nascentem, crescentem, variis modis deinde constabilitam? Iam quod ad adiectivum *felix* attinet, quaecumque est vis eius exitus, id satis constat proprie vocem idem fere valere quod *fecundus*, *fertilis*. At quomodo homines sensu translato dici poterunt esse felices?

Antea hanc quaestionem tetigerant F. Taeger <sup>1)</sup>, A. Passerini <sup>2)</sup>, L. Berlinger <sup>3)</sup>, M. A. Levi <sup>4)</sup>, quorum opiniones Erkell diligenter reddit; qui licet in singulis rebus inter se nonnumquam dissentiant,

1) PhWS 53 (1933) 930 sqq. (in recensione libri v. d. R. M. Haywood c.t. 'Studies on Scipio Africanus').

2) 'Il concetto antico di Fortuna', Philol. 90 (1935) 90 sqq.

3) 'Beiträge zur inoffiziellen Titulatur der römischen Kaiser. Eine Untersuchung ihres ideengeschichtlichen Gehaltes und ihrer Entwicklung'. Diss. Vratislav. 1935.

4) 'Auspicio imperio ductu felicitate', Rendiconti R. Istit. Lomb. 71 (1937/8) 113, 51.

ad unum omnes persuasum habent felicitatem proprie esse vim quandam homini innatam inque ipsa rerum natura positam, „forza immanente, concetto puramente italico” (Passerini l.l. 93), „power as well as a quality”<sup>1)</sup>, quae notio ex magicis orta sit rationibus. Paucis ipse quoque iis assensus eram, id quod non fugit auctorem, cum in libro c.t. Roman Dynamism scriberem<sup>2)</sup>: „this *felicitas* is not regarded as ‘fortune’ subject to chance but as evidence of personal excellence: ‘Ego enim sic existimo, in summo imperatore quattuor has res *inesse oportere*, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, *felicitatem*’ (Cic. *imp. Cn. Pomp.* 28)”. Contra argumentatur Erkell, idque non temere, sed innumeris locis Thesauri ope collatis. Recognitis ceterorum opinionibus ita concludit (p. 50): „Das Problem ist offenbar dasselbe hinsichtlich des germanischen Heils und der römischen *felicitas*: selbständige magische Kraft oder göttlicher Segen?” Antequam pergamus paulisper videtur hic subsistendum. Quid ergo? Faciemusne cum auctore talibus verbis quaestionis robur concipiente? Minime equidem. Nisi enim summa cautione processerimus verendum erit ne quis ira commotus, quippe cum ei suspicio sit insimulare nos Scipiones turpissimae vanitatis magicae, calamum conscendat frementem subditisque calcaribus in nos invehens unipedante quatiat sonitu campum puta actorum Philologiae Recensendae dedicatum<sup>3)</sup>. Quid enim? Haud raro aequalem nostrum, postquam forte asseveravit se numquam adhuc morbo esse correptum, mensam videmus digitis pulsantem ad periculum averruncandum. Iam si persuasum habemus tali gestu deprehendi superstitionem altissimis priscorum temporum radicibus defixam, num continuo statuimus in

1) H. Mattingly, *Coins of the Roman Empire in the British Museum* 4 (1940) L n. 1 (non, ut per errorem Erkell, p. 125, 4, 1).

2) p. 61. — Libro c.t. *Thesaurismata*, Idae Kapp dedicato, W. H. Friedrich disputationem inseruit q.i. *Caesar und sein Glück*; incommode accidit ut nondum apparuerit.

3) Cfr. G. Dumézil, ‘*Maiestas et Gravitas*’, *R.Phil.* 26 (1952) 7 sqq., ubi refutare conatur quae exposueram capite quarto libri c.t. ‘*Roman Dynamism*’ (1947). Respondi *Mnemos.* vol. V (1952) 287-306 (‘*Gravitas et Maiestas*’); perpaucis se defendit adversarius meus, ‘*Maiestas et Gravitas, II*’, *R.Phil.* 28 (1954) 19 sq. Pertranquillo animo lectoribus permitto diiudicationem: facile se praestabunt saniore praeditos iudicio quam tacitus existimat ille. Iterum Dumézil *dumezilia* tractat.